



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Titvli Capitvlorvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

EPISTOLA  
**INNOCENTII PAPÆ III.**  
 AD ARCHIEPISCOPVM ET CAPITVLVM  
 COLONIENSE.

Antiquitus concessa priuilegia confirmat.

*Innocentius episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis electo  
 & capitulo Coloniensi salutem & apostolicam  
 benedictionem.*

**S**OLET annuere sedes apostolica piis votis & honestis  
 petentium precibus fauorem beneuolum impartiri.  
 Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris precibus incli-  
 nati libertates & immunitates a Romanis pontificibus,  
 prædecessoribus nostris, ecclesiæ vestræ concessas, anti-  
 quas etiam & rationabiles consuetudines hæctenus in ec-  
 clesia ipsa seruatas ratas habemus, & eas auctoritate apo-  
 stolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio com-  
 munimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam no-  
 stræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario con-  
 traire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indigna-  
 tionem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apo-  
 stolorum eius se nouerit incursum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum x. Kalendas Ia-  
 nuarii, pontificatus nostri anno octauo.

ANNO  
 CHRISTI  
 1199.

**CONCILIVM IN DALMATIÆ  
 ET DIOCLIÆ REGNIS PER LEGATOS**  
 sedis apostolicæ in causa reformandæ ecclesiasticæ di-  
 sciplinæ anno MCXCIX. celebratum sub Innocentio  
 papa III.

TITVLI CAPITVLORVM.

- |  |   |
|--|---|
| I. <i>Vt episcopi pecuniam ab ordi-</i>        | <i>tionem oblationum.</i>               |
| <i>mandis non accipiant.</i>                   | IV. <i>De sigillo confessionis.</i>     |
| II. <i>De calibatu clericorum, &amp; ordi-</i> | V. <i>De honore sacerdotibus exhi-</i>  |
| <i>nibus conferendis.</i>                      | <i>bendo.</i>                           |
| III. <i>De diuisione &amp; administra-</i>     | VI. <i>De gradu consanguinitatis in</i> |



- contrahendis matrimoniis ob-  
seruando.
- VII. Vt clerici tonsuram teneant  
clericalem.
- VIII. Vt laici a rebus ecclesiasticis  
abstineant.
- IX. Excommunicantur thesau-  
rorum ecclesiasticorum desento-  
res, & qui Latinos in serui-  
tute detinent.
- X. Excommunicantur illi qui uxores  
sine iudicio ecclesia dimittunt.
- XI. Vt nothi ad sacros ordines non  
accedant.
- XII. Vt nullus ante trigessimum  
annum ad sacerdotium promo-  
ueatur.

ANNO  
CHRISTI  
1199.

## PRÆFATIO.

**I**N nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Nos Ioannes capellanus, & Simon subdiaconus domini Innocentii papæ III. apostolicæ sedis legati, ad euellenda nociua de agro dominico, & virtutum plantaria vtiliter inferenda, videntes multa in clero & populo Dalmatiæ & Diocliæ corrigenda, de sanctorum patrum Concilii decreta præsentia duximus innouanda.

## CAPITVLA.

## I.

In primis itaque decernimus, vt nullus episcopus aliquem ad sacros ordines per pecuniam promouere, seu ecclesiastica beneficia alicui precio interueniente concedere præsumat. Cum enim Dominus præceperit apostolis: *Gratis accepistis, gratis date*, & Spiritus sancti gratia venalis esse non possit, quæ confertur in sacris ordinibus, graui puniendus est pœna, qui Spiritus sancti dona venalia exponere non veretur. Quocirca præsentis decreto statuimus, vt quicumque episcopus hoc agere conuictus fuerit, omni ecclesiastica careat dignitate: & sine spe restitutionis, tam ille qui dederit, quam ille qui scienter sacros ordines pecunia interueniente receperit, perpetuo deponatur.

## II.

Cum Domini sacerdotes, & si qui sacro altario

rio